

3



REVERENDISSI- MO ET ILLVSTRIS.

SIMO PRINCIPI AC DO-
MINO. D.

*JOANNI GODEFRIDO, IMPERIA-
LIS ECCLESIAE BAMBERGENSIS PRAESV-
li dignissimo.*

CATHEDRALIS COELEGII WIRCE-
BVRGENSIS AMPLISSIMO PRÆ-
POSITO
DOMINO SVO CLEMENTISSIMO.

BEATVM Sturmionem Ecclesie Ful-
densis Archimandritam, & Condito-
rem, Saxonica gentis inter primos A-
postolum, ornare, quo potuit stylo, erat
animus, & luce donare publica. Simpli-
cem ei cultum, & primum, quo scie-
bam delectari, quærebam: at perquisitis & excusis omni-
bus custodia libraria latebris, dolebam Fuldensibus tan-
tum subtractum melioris vita exemplum: & Conditoris
ereptam sublatamue, iniuriâ, memoriam. Evidem con-
fectatus extrema omnia, ad colorē & sanguinem non
perueni: imitatus fateor, qui herbas exoticas, quas pere-
grini soli presentare nequeunt, quam proximè possunt,
coloribus exprimunt, & lineamentis adumbrant. Tu
Reuerendissime & Illustrissime Antistes, quantus, quā-
T 2 tus est,

DEDICATIO.

tus est, ipsum Sturmionē, qualem se viuentem agnoscere
peret, nobis, pulcrū virtute, moribus elegantē, & perfectū
exhibuisti. Vindicasti eū à tenebris; atq; ut suis, multisq;
praluceret alijs, non uni Bibliotheca, sed plurimis volui-
sti dicari; ut eius immortalis anima, nō in uno sed diuer-
sis iā locis loquatur: quale Eremitam sibi fecerit S. Boni-
facius: quale amicum recuperauerit Pipinus: qualem Le-
gatū in Boios ad Thassilonem ducē, Carolus miserit ma-
gnus: qualem deniq; Saxones Apostolū, qualem Ecclesie
sua Cōdītorem habuerit ditio Fuldensis. Qui igitur olim
spondebam fore, ut multo maxima ei haberetur gratia,
quicunq; genuinam, & ut à maiorib. descripta, S. Stur-
mionis vitam vindicaret, quidni ego Praefuli & Sacer-
doti Ornatisimo, & de sua & cōmuni Ecclesia Catholi-
ca, imò de Societate nostra indies praeclarè merenti, publi-
citus iam grates gratiasq; dicam & habeam: qui nō tam
S. Sturmionis mutam vitam, q; viuam & loquentem i-
psiis imaginem, morib. referre studeat. Qua ppter, me, cū
bonis omnib. semp̄ vota facere par est: ut Deus Opt. Max-
banc Celsit. T. mentem semp̄ cōseruare velit: qua p vigilā
tia muneric, & animi insita magnitudine, salutem affer-
re & consulere, nō presentib. tantum sibi q; subditis, sed po-
steris etiam & absentib. gratum facere, ipsisq; Celitibus
honores, & nouam quandam immortalitatem dare ge-
stiat. Ita, precor, & votorum unā pignus hoc sisto, quan-
diu quidem extare poterit, & uiternum. Fulda. Anno gra-
tia MDCXIV. XXIV. Augosti.

Celsitudini Vestrā inter primos deditus
quam subiectissime

Christophorus Brouverus.

PRO-